PHILIPPI SERIVSTII

PATRITII LVCENSIS ACADEMICI OBSCVRI.

DE VIRGINIS IMAGINE NOVIS LVCAE MIRACVLIS CORVSCANTE

Carmen

Ad Illuſtriß: & Reuerendiß: S. R. E. Cardinalem IO: BAPTISTAM CASTRVCCIVM.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE



SENIS. APVD LVCAM BONETTVM. M.D.LXXXVIII. *Superiorum permiſſu.*



AD ILLVSTRISS. ET REVERENDISS. IO: BAPTISTAM CASTRVCCIVM S. R. E. CARDINALEM.

LÆTITIAS vrbis, populiq; ingentia noſtri
Sint licet exiguis gaudia dicta modis,
Nos Tibi purpureo, Princeps, redimite galero
Vrbis lætitiæ mittimus, & decori.
Tu grauibus quandò ſit fas abſiſtere rebus
Qua Tyberim ſpectas, carmina fronte legas.

CARMEN.

ERGO ne Lucenſes inter VIRGO optima ciues
Quos tu ſupremo facilis dignaris honore
Nil loquar ingratam referens pro munere mentem?
Cùmq; alij laudeſq; canant, Lucæq; per orbem
Dona, quibus ſuperas, tota celebrare camœna
Inſiſtant vario meditantes carmina cantu
Solus ego ſileam? antè cauo ſe pandat hiatu
Terra mihi; tantum tenebris obuoluere lumen
Quàm videar, mutoq; ſinam me dicier ore.
Et quamquam dignos meritis contexere verſus
Ingenij haud noſtri eſt, magnoſq; rependere honores,
Attamen amplecti conanti pauca, benigno
Diua faue ò vultu vultu, quò clarior ipſo
Sole nites, Lucamq; foues, meq; adſpice tandem.
Eſt vrbs quam propter de montibus Apennini
Auſer Tyrrhenum liber contendit ad æquor,
Æternùm viridi redimitus tempora fronde,
Luca vetus: Luca ſed quis porrò aduena nomen
Ignorat, faceſq; ſimul, ſanctumq; Senatum

Queis regit illa viros, & mœnia libera ſeruat?
Quæ paruis anguſta licet circumdata muris
Nobilitate tamen cœlo ſe iactat & armis.
Ac veluti exiguus quamuis perſæpe lapillus
Eſt adamas; haud luce tamen ſolet ille minori
Fulgere, quàm multo radiantes lumine gemmæ;
Sic ea cùm paruas tantùm referatur in vrbes,
Non minus intereà ſplendet maioribus vllis.
Hìc quà ſe vallo fortis circùm obſita ferro
Excubijs poſitis noctem ſeruata diemq;
E tribus vna aperit porta, ex quibus itur in vrbem:
Portam ipſam, pontemq; inter, qui proximus illi
Acceſſum præbet, prohibet ſeu tempore certo,
Porticus à læua eſt valida ſuſpenſa columna
Militibus feſſis donet; quæ grata quietem,
Quòq; animos recreent circùm pendentibus armis;
Cuius & in medio, tenui deducta colore
Haud gemmis auroq; nitens ſe MATRIS imago
CHRISTI oſtendebat (noſtræ monumenta ſalutis).
Sed ſtupet en horretq; animus memorare, nefando
Quo ſcelere infelix, furijs agitatus Auerni
Hoc tantum miles dictis inceſſere numen
Eſt auſus; diroq; manus temerare piaclo.
Namq; malus ludo tempus dum perdit inani

Ludo heu, qui ſtygijs credo eſt deductus ab antris;
Vnoq; in iactu tali, corpuſq; animumq;
Ponit; & ancipiti tribuit bona ſingula ſorti;
Aduerſa tandem fortunæ iratus; iniquis
Poſt adeò verbis: Tantùm malè ſana, Deumq;
Temnere ſueta furit mens; impetè brachia tollens
Ni cœlum prohibet, ſacratæ in Virginis ora,
Proijcere intentat talos deperditus altè.
Proh ſuperi, proh voſq; omnes, queis tanta videre
Contigit in terris harum ſpectacula rerum,
Dicite quàm ſubitò ſuccenſo ardeſcere vultu
Viſa eſt antè oculos depicta parentis imago.
Protinus ecce viri (auditu mirabile cunctis)
Qualis cùm Borea ſolita eſt concuſſa rigenti
Arbor in vmbroſis ſe interdum oſtendere ſyluis,
Nutantem ſummo cernit quam vertice tellus;
Ad cubitum quà ſe ſe humero protendit ab alto
Dextra infracta manet; talis redeuntibus ipſos
Antè pedes: ictu perterritus ille potenti
Jam turpi credit metuitq; occumbere morti;
Tum lachrimans, titubanſq; genu connixus vtroq;
Arentemq; manum læua ſuſpenſus ad auras,
Et veniam petit, & cœlum ſibi poſcit amicum,
Vt ſaltem nigro ſit fas euadere ab Orco.

Intereà ſocij caſus, quos maximus omnes
Commonuit verbis auſiſq; carere prophanis,
Commiſerati, animum monitis ſolantur amici
Militis, vtq; procul ſuadent diſcedat ab vrbe
Quò populum, & ſæuum vitet ſibi iure Senatum.
Ire parat. celeri præceps tum concita curſu
Luſtrat fama domos, & vulgus conuocat anceps.
Plebs vnà patreſq; ruunt, iuueneſq; ſeneſq;,
Fœmina mixta viris: pars tecta relinquere ſola
Deſerere & lucrum pars aſsiduumq; laborem;
Et vacuas adferre manus, quibus aptius inter
Se turbam miſcere queant, aperireq; greſſum.
Sic olim diro peteret dum mœnia bello
Inſidiaſq; ferox vrbi dum tenderet hoſtis
Conſueuiſſe ferunt; niſi quod non arma videres.
Complenturq; viæ; ſedes tum deniq; ad ipſas
Eſt vbi peruentum, caſum explorare, hominemq;
Quærere ſi fuerat certos, quos redderet ille,
Atq; Deam pariter mirari vindice dextra.
Quis verò hic ſtrepitumq; virũ, laudeſq; preceſq;
Fœmineo ductas inter de pectore voces,
Votaq; commemoret, queis tunc Regina vocatur?
O Virgo ingeminant omnes, ò Diua viciſsim,
O modò Lucenſes dignata accedere ad oras

Quãtùm dextra valens; ecquis nũc Barbarus armis
Hùc properet ſi tecta potens tu noſtra ſubiſti?
Perge agè non iſtas æternùm deſere terras.
Oſcula tot paries capit, quot ſidera cœlo
Nocte nitere ſolent, vaſto cùm ſurgit ab antro.
Porticus inſolito ſtupuit concuſſa tumultu.
Et quoniam ſpatio numerum complectier omnem
Haud locus ipſe poteſt; reddit quos nuncia facti
Hiſtoria admonitos, ignaris cedere vulgus
Expleat vnde animos cogit, propiuſq; ſubintrat.
Aduerſum intereà cœlo delapſus in orbem
Ecce diem pellit veſper, iam Cinthia cornu
Splendet, ab humanis ſuadetq; quieſcere rebus.
Ac reliquus miles, ſomnuſq; recedere clauſo
Limine, compellunt populum; verùm immemor ille
Sumere vt antè dapes, ſic nũc dare membra quieti,
Atq; redire domos, natoſq; reuiſere, lucem
Expectare nouam cupiat (ſi fas foret) illic.
Nempè Dea æthereum ſpargens ab imagine odorem
Et rapit, & paſcit mortales maxima curas.
Militibus parere tamen noctiq; neceſſe eſt.
Diſcedunt tandem; vacuas diuiſa per vrbis
Turba loquax partes, totam ſermone frequenti
Implet, & ad cœlum clamans ſe in tecta reponit.

Altera vixq; dies oritur, cùm rurſus eandem
Ad portam properat, flammaſq; accendere circum
Incipit, atq; iterum laudes, & vota referre,
Munera datq; etiam, temnit nec munera Virgo,
Quin maiora refert; etenim noua ſigna priori
Accumulans, meliora quidem, ſi cernimus illos
Quos variè infirmos donauit Diua ſalute,
Admonet iratam poſuiſſe in milite mentem.
Jamq; regens currus purum ſuper æthera Phœbus
Terq; quaterq; nouo Lucam ſplendore nitentem
Viderat, atq; ſuos ſuperari lumine vultus,
Mirariq; auidum toties ſtupefacta morantem
Spectarat iam Luna ſoror; voxq; alta vagari
Cœperat in terras, ſeu quas circumfluit Arnus
Seu quas Eridanus, Ligurumq; aduenerat oras.
Hinc celerans aliò populos ciet vnde frequentes:
Cùm tãdem, bis quinque patres, quibus ordine recto
Cura regendæ vrbis fuerat, legeſq; tuendi
Proſpiciuntq; ſuo cunctis, qui tempore rebus;
Præſulis vt norunt quæ ſit ſententia menti,
(Qui vigil intereà, rem tota ab origine, dictis
Firmauitq; virùm, ſigniſq; recentibus auxit)
Conſilium de more vocant, quò ciuibus vnà
Accitis, quid agant videant moneantq; viciſſim.

Nec

Nec mora: coniuncti veniunt pariterq; togati
Ciues, antè duces videas, quos maxima priſci
Dixerunt vrbi, populoq; oracula noſtro;
Quiq; illam pariter ſtudijs celebrantq; iuuantq;
Atq; dies hominum remorantur Apollinis arte.
Poſt alios ætate graues, & munere functos
Iam vario; reliqui nec non ſimul inde ſequuntur.
Intentiq; omnes implent ſubſellia circùm.
Ipſe oculos grauiter cœtum conuerſus in omnem
Purpurea tum veſte gerens vexilla Senatus,
Dux inter denos, ſolio ſic cæpit ab alto.
Magna quidem, ciues, ſæclis neq; viſa peractis
Antè reor, noſtris veniunt miracula terris
Teſtanturq; nouos meditantia ſidera curſus,
Felices vtinam, mitis modò pectora quamuis
Virgo procul triſtes iubeat depellere curas,
Sed quis non metuens præſentia numina cernat?
Audiſtis vt Diua potens ſcelus vlta nefandum
Militis hinc profugi eſt; quem nos Antiſtite ſacro
Mandante, è totis quærendum iuſſimus aruis
Ipſius ex ore æternùm quò firma manerent
Teſtibus & fidis; & iam quos miſimus adſunt.
Illum fracta aiunt dextra, latèq; gementem
Finibus haud noſtris procul, interruptaq; dantem

Verba, ſuum paſſim teſtatum ſæpe dolorem
Crimine pro tanto; pœnaſq; auertere pœnis
Ut liceat miſero precibus petijſſe frequenter.
Sed quid adhuc illum; tempus decernere certè
Non iſtud patitur: cœleſtem ſentiat alto
Virtutem intereà, & diſcat diuina vereri.
Noſtra quod in præſens vobis, nos cura vocatis
Admonuit, totiq; ſimul planè expedit vrbi,
Paſtoriq; pio placuit, cui ſacra reguntur;
Eſt, vt ſolenni pompa, votiſq; parentem
Placemus natumq; ſimul: portaq; patenti
Deferri ſimulachrum ingens Reſpublica curet
Tum poni templo, ſacriſq; aſſurgere in aris,
Sic ait, & preſſo finem facit ore loquendi.
Hìc ſe ſe incipiunt ciues ſermone citato
Submiſsè affari, vocemq; immittere in aures,
Et varios animos propius tentare latentes,
Quos vbi concordes maiori ex parte repertum eſt,
Conſilij quod habent narrant, coramq; referre
Maieſtate viro mandant pro ſe omnibus vni;
Iſq; loco tandem ſublimi, & pectore prono
Demiſſus frontem; dictis ſic dicta rependit.
Magna, fatemur enim cuncti, dux inclite, clari
Voſq; patres, noſtris veniunt miracula terris,

Et noua facta Dea multis iam cognita in oris
Incuſſere metum menti: ſed ponere tandem
Nunc iuuat, & miti poſthàc confidere vultu.
Non ferus huc hoſtis flammis incendere tecta
Venit, noſtra ruens crudeli in corpora cæde;
Verùm hoſtem aduerſus, nos Virgo, & noſtra tueri
Deſcendit cœlo, portæq; ad limina ſedit;
Vltaq; iam ſontem, miſeratur crimina flentes.
Sed votis adeunda tamen ſunt numina: templo
Ponenda effigies, aris ſacriſq; pianda,
Et quoque ſolenni pompa, longo ordine circùm
Compita cenſemus clara ſub luce ferendam.
Vos ſeu ſorte viros. operi, qui commoda mandent
Seu voce eligite, en vobis ſimul adſumus omnes.
Dixerat, inq; ſuas cœtum velut ante ſalutans
Commigrat ſedes, ſeruantq; ſilentia cuncti.
Quiſque ſubire pium (vultus nam denotat ipſe)
Exardet munus, gratoq; inhiare labori.
Vtq; ſolet quondam vanæ ambitionis honores
Expetere, humanæ ſpargit quæ nubila menti;
Virginei cultus tantùm conceptus amorem
Hanc tacitè curam ſtudijs melioribus optat.
Tres primũ antè omnes monuit vox miſſa per au-
Aſcitos, qui (primus vbi ſe veſper olympo (ras

Obtulerit) medijs portam reſerare tenebris
Cuſtodes ipſos, & latum findere murum;
Quos duxere homines iubeant; quo dulcis imago
Exiguis colitur depicta coloribus olim.
Inde humeris lapidem pario plus marmore, & aureis
Inſignem gemmis, multo velamine cinctum
Præcipiant ædes tacitè deponere in iſtas.
Treſq; alios, redeunte die, queis cura monendi
Eſt vrbem ad pompam, aulæis templumq; parandi,
Templum quod cœlo tanto ſe tollat honore;
Quodq; modò leui conſtructum marmore (parua
Mole licet) Petri ſurgit de nomine ſacrum.
Aduerſumq; ædem ſpectat feliciter vrbis.
Hoc vbi decretum eſt, dimiſſo abiere Senatu;
Iamq; dies properæ feſtinat cedere nocti;
Ocius at refugis propè iam venientibus vmbris
Prima quibus cura eſt, totam celerare per vrbem
Cernas, atq; homines hinc atq; hinc cogere certos.
Inſtrumenta parent mandant, cùmq; orbe quieſcent
Omnia, ſe portæ ſiſtant ad limina cuncti;
Cuſtodeſq; monent vigiles, nil deniq; agendum
Reſtat adhuc, cœlo donec nox altior adſit.
Aſt animis verſare alios pompæ alta futuræ
Ornamenta putes, ſtudioq; æquare priores,

Diuus honos tantùm mortalia pectora tangit.
Tertia iam Lunæ curſus pars deficit; & iam
Ad medium ſe accingit iter; defeſſaq; dulci
Lætantur terris animantia ſingula ſomno.
Nil mare, nil tellus, ſyluæq; nemuſq; remiſsis
Vocibus, aut cantu, varioue labore cientur.
Tempus adeſt, quo portam adeunt, tãdemq; recluſa
Plus ſolito, vt referunt noua poſt miracula claros
Supplice velatos venerantur pectore vultus;
Hinc timidas mouère manus, quaſq; adnotat antè
Linea ducta vias aperit penetrabile ferrum.
Quàm facilè æquoreas, præceps Aquilonibus, vndas
Acta ratis duro ſoleat diffindere roſtro.
Materies inciſa oculis, mirùm, arte magiſtra
Se præbet, ſeu ſponte reor plus cedere prompta.
Deponunt innixi humeris, hinc vrbis in ædes
Ferre parant, ſacrumq; vnà ſub pondus anhelant.
Sortitiq; vices onerantq; leuantq; lacertos.
Sed tacitos quamuis, mediæq; ſilentia noctis
Captantes, celeri currens pede fama fefellit,
Namq; ferunt, dum fortè inter quos turpis egeſtas
Inſomnes miſerum iubet exercere laborem,
Vnus adeſſe diem credit; corpuſq; cubili
Tollit, & anguſta accurrit ſeruare feneſtra;

Lumina deſigens turba domibuſq; propinquos
Conclamans, implere viam totam ille coegit:
Quiſque oculis arcet ſomnos, & corpora veſte
Nuda tegit, comitemq; viris ſe ſe obuius addit,
Accendit flammas, cantus iteratq; frequentes.
Vox ſonat, & populus varijs ex partibus aſtat:
Deceptus ſtupuit ciuis; ſed ſiſtere contrà
Neſcius, ingenti ſtimulat ſub pondere lentos;
AEdibus at tandem MARIAE ſuccedit imago,
Sublimiſq; iterum votis depoſcitur ijſdem;
Inde domos iuſsi redeunt dare membra ſopori,
Et feſsi pariter vulguſq; patreſq; quieſcunt.
O benè parta quies, ſuperis gratiſsima, poſtquàm
Mortales toto connixi pectore rebus
Incubuere pijs, & cœlum adiere benignum.
Sed tandem reſonare modis, pia Muſa, canoris
Incipe virgineos faſtus; quibus ardua templum
(Addita labenti poſtquàm lux altera cœlo eſt)
Diua ſubit mirante ſolo, mirante polòq;
Tu quòque Virgo iube deductum aſſurgere carmen.
Principiò roſeos, non dum diffuſa capillos
Fulgida conuexo ſurgit Pallantias orbi
Arua rigans manibus, noctemq; & ſidera pellens,
Ipſa ſed aduerſis ſplendet Latonia bigis,

Mittere cùm vigiles iam ſe ſe in compita latè
Incipiunt delecti homines, & fallere lucem
Aulæis tabuliſq; humeros, & colla grauati.
Pars terræ deponit onus, recipitq; ferentum,
Aſſiduèq; manus tollens, ſimul aggerat altè
Quæ noua fert iterum pompæ ornamenta decora.
Pars ſyluas, floreſq; addit, frondeſq; virentes,
Et ſcalas hinc, & funes, propria arma, miniſtrat.
Templum alij exornant; alij per lata tapetas
Compita ſubuoluunt, & muros cingere certant.
Fulgor ineſt illis tyrio de murice quantus?
Et labor his fuluo tegitur, queis vellus in auro?
Hìc oculus ductos miratur ab arte colores,
Aſpectu & grato capitur nemoriſq; comantis,
Et ramis, quæ picta canunt ſuper antra volucrum:
Aſt illic armatæ acies fera prælia ſæuo
Marte cient, ſpumantis equi dum fræna relaxant:
Artificis proh docta manus: verùm omnia quiſnam
Perlegat obtutu primo; quiſue omnia narret?
Addunt & pictas tabulas, ſertiſq; coronant
Florum vere nouo decorant, qui prata nitore,
Inſuper & virides diſponunt ordine ſyluas,
Quas inter liquidi feriunt en æthera fontes.
Surgit opus; templi pars tota inſtructa ſuperbè

Cernitur, atq; albos nitet altè induta colores;
Et niueæ pariter ſunt circùm altaria veſtes
Eſt quibus argentum decori, cælataq; in auro
Effigies ventura Deæ grato ore micantis,
AEterniq; ignes iam centum altaribus ardent.
At locus ò felix, propius qui numen amicum
Accipiet, nitido ſpectatur fornice clarus.
Qualis vbi effuſis maduerunt imbribus arua
Frigidàq; aduerſum cæperunt nubila Solem,
Roſcida in aerijs effulget tractibus Iris,
Sic variè minioq; rubet, gemmiſq; coruſcat.
Nec violæ deſunt mittunt, quæ à limine odorem,
Area læta viret ſparſis & floribus halat.
Parte alia, varios fabricatur in arcibus ignes
Murorum cuſtos, operi nec ſegnius inſtat.
Luca induta nouum cernit gaudetq; decorem,
Auſer & ipſe vagis exſurgit lætus ab vndis
Grataturq; ſolo, nec non ſua gaudia iactat.
Ipſaq; iam cælo remeans Aurora ſereno
Mutatas vrbis facies miratur ouantis,
Seu viſus falli credens; ſeu ſurgere rurſus
Idalij nemoris ſedes, pulcherrima regna.
Sol quoque miratur veniens, queriturq; morantes
Nil currus, cùm templa monent exordia pompæ.

Tympana

Tympana nam ſonitum geminantia cuncta repentè.
Aera percutiunt validis compulſa lacertis.
Attonitæ excipiunt aures; hinc tendere ad ædes
Agmina denſa virùm videas cœtuſq; piorum.
Agglomerant ſe ſe pictæ ſi fortè volucres
Præpetibuſq; ferunt magnum ſuper æthera pennis;
Ut maris ad murmur, gelidi ſeu fluminis vndas
Allapſæ, ripas, ſaxoſa aut littora complent;
Atria ſic hominum ingentes implère cateruæ.
Abdita quot ſeruant vitæ deuota pudicæ
Clauſtra viros, ſacriq; lares, tutiq; receſſus,
Hùc celeres totidem flammis ardentibus adſunt.
Iamq; ſacerdotum magna ſtipante corona
Patribus & mitra claris, quibus aurea ab alto
Pectore fulgentes demittit fibula veſtes,
Summus adeſt Paſtor populo, qui ſacra miniſtrans
Ritè quaterdenis iam tum voluentibus annis,
Felicem præfert canenti fronte ſenectam.
Magnus Alexander, ſatus alto è ſãguine patrum,
Quos iam purpureo ditauit Roma galero.
Olli amplexa humeros, rubroq; intexta pyropo
Palla æquat capitis multo ſplendore tyaram,
Et mira ſe ſe cum maieſtate ferenti
Crux præit infernos olim populata tyrannos;

Præſulis eximij præclarum inſigne decuſq;
Sed tuba multa ſonans, iamq; ipſum aſtare Senatũ
Admonet, & Diuæ tandem perſoluere honores.
Ilicet en iterum lituiq; tubæq; fragorem
Immittunt; miram cum celſa in ſede nitentem
Viginti effigiem tectis penetralibus ædis
Deportant; quos longa oculis velamina noſtris
Sedis ab extremis circùm pendentia celant.
Scilicet hanc, primæ poſtquàm ceſſere phalanges,
Et vox arguto reſonauit præuia cantu;
Ferre putes manibus redimitos tempora Patres:
Inde per æthereas flammis volitantibus arces.
Terraq;, & cœlo, & vacuis reboantibus auris.
Denique ſublimi VIRGO ſuper additur aræ.

FINIS.

DVM EX VRBIS PRYTANEO,

AD D. PETRI

Eadem Imago transfertur.

ODE.

IAM polus vaſtis careat procellis,
Iam maris murmur ſileat, tumultus
Iam ſolum crebros fuget, atq; pacis
Fœdera ponat.
Adſit optatis radijs Apollo,
Nec prius claros reuocet meatus
Quàm dies ſacro veneranda cultu
Deſerat orbem.
Vocis applauſu iuuenes ſonora
Aſtra pulſetis, fidibuſq; cœlum,
Tanta nam menti iubet eſſe CHRISTI
Gaudia MATER.
Solus æternis Phlegethon ruinis
Ingemat, totus reſonetq; Auernus
Ac faces in ſe proprias retorquens
Expleat iras.

His enim bello vario ſubactus,
Cogitur ſummæ dare ius parenti,
Antra dum iuſſus repetit profundi
Horrida Ditis.
Luce dum cæci vetita fruuntur,
Voce dum muti, ſonus ac ad aures
Peruenit ſurdas, ope præpotentis
Virginis alta.
Thure ſolennes repleantur aræ,
Ac roſis inter violas nitentes
Strata floreſcant pariter viarum,
Quas rigat Auſer.
At quis aduenit fragor altus aures?
Quem dat aut tellus ſonitum? quid æther
Intonat crebris facibus coruſcans
Vndiq; totus?
Arce nunc ignes veniunt ab alta
Vrbis, & circum volitant domorum
Tecta, ceu grando veniens aperto
Saxea olympo.
Et cauis exit ſonus hinc metallis
Cui parem, credo, tremefacta ſenſit
Roma, quam belli ſpolijs ſuperbus
Cæſar adiuit.

Quin & aulæis decorata pictis
Atria ò cerno; varioq; flore
Sparſa, proh quantis hodie reſurgit
Luca triumphis.
Sed procul flammas video frequentes
Inter, ingentem properare turbam
Voce, quæ cantus modulans acuta
Carmina fundit.
En ſacerdotum manus, en piorum
Quotquot ad cœli ſupera alta, ſacra
Veſte ſub tendunt; ſimul en verendi
Pompa Senatus.
En & excelſa poſita alta ſede
Huc adeſt; mirùm, ſacra Diuæ imago
Quam ferunt mitra redimiti ad auras
Tempora Patres.
Cernis vt claro iaculetur ore
Sol velut flammas, oculos tuentes
Vtq; perſtringat, iubeatq; terris
Figere vultus?
O Dea hìc præſens modò quam potenti
Dextera vltricem, miſer ipſe ſenſit
Miles infandum ſcelus auſus altè
O Dea ſalue.

Tu decus noſtræ ſuper addis vrbi,
Luce Lucenſes decoraſq; ciues
Sic noua, nullus queat hunc honorem
Vincere vt alter.

Non, licet ferro populus togaq;
Clarus, emenſi dominator orbis
Eſſet, extremas ageretq; ſecum
Nomen in oras.

Ergò quas grates agimus precantes
Accipe ò Virgo, tibi noſtra ſe ſe
Offerunt corda, & quid vbique noſtrum eſt
Tradimus vltro.

Aſpice vt lætos velut ipſa vultus
Saxa demonſtrent, quibus ecce templo
Conderis, Diuo pia quod dicarat
Vrbs tua Petro.

Ipſa demittit tibi ſacra frontem
Ara, quæ magnis onerata donis
Gaudet, ac tantum ſibi adeſſe numen
Geſtit, & optat.

Hic tibi centum laqueari ab alto
Lampades circùm, totidemq; pictas
Vota teſtantes tabulas fidemq;
Aduena ponet.

Plura ſed ſplendor loquier ſtupentem
Diua me tantus prohibet, iubetq;
Ut piam tandem venerer ſilenti
Pectore formam.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE